

**Disputatio medica inauguralis, de experimentali medicina practica, unice vera atque probata. / Quam, ... ex auctoritate ... Hieronymi van Alphen ... pro gradu doctoratus, ... eruditorum examini subjicit Johannes Conradus Ludolphus, Hasso-Griftensis. Ad diem 25. Augusti.**

### **Contributors**

Ludolphus, Johannes Conradus, active 1717.

Alphen, Hieronymus van, 1665-1742.

Water, Willem van de, active 1686-1728

### **Publication/Creation**

Trajecti ad Rhenum : Ex officina Guilielmi vande Water, academiæ typographi, M D CCXVII. [1717]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dbkb7qpg>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

17

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EXPERIMENTALI  
**M E D I C I N A**

Practica, unice vera atque probata.

QUAM,  
DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**HIERONYMI VAN ALPHEN,**

S. S. Theol. Doctoris & Professoris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ decreto,*

**PRO GRADU DOCTORATUS,**

*Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,*

*Eruditorum Examini subjicit*

**JOHANNES CONRADUS LUDOLPHUS,**  
Hasso-Griftensis.

*Ad diem 25. AUGUSTI, loco horisque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**

---

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Aca-  
demiae Typographi. cI cI ccxvii.

V I R I S,

Maxime & plurimum Reverendis, Pra-Nobilissimis, & Nobilissimo,  
Pra-Clarissimis & Clarissimo, nec non Doctissimis Dominis.

Dno. CONRADO LUDOLPHO, Pastori Ecclesiæ Reichenba-  
censis optimè merito atque merenti, S. Ministerii Seniori gravissi-  
mo, Avo suo Prædilectissimo, omni Observantiae atque Reve-  
rentiæ cultu submisè venerando.

Dno. CASPARO LUDOLPHO, Conradi Filio, Diœceseos  
Liechtenavicensis Metropolitano Vigilantissimo, Ecclesiæ Ur-  
banæ Pastori Primario longè meritissimo, Patruo suo atque Me-  
cœnati filiali obsequio æternum colendo.

Dno. JOHANNI ENGELHARDO LUDOLPHO, Conradi  
Filio, Pastori apud Griffenses meritissimo, Patri suo filiali amore  
atque obsequio sempiternum venerando.

Dno. JOHANNI HENRICO NEUHOEFERO, Sereniss. Prin-  
cip. Hasso-Castellani Præfecturæ Liechtenavicensis Quæstori Gra-  
vissimo, Fautori suo æstumatissimo.

Dno. JOHANNI HERMANNO ANTHFELDIO, Sereniss.  
Princip. Hasso Castellani Urbis & Præfecturæ Liechtenavicensis  
Prætori æquissimo, Amico suo dexterimo.

Dno. CHRISTIANO GEHEBE, Sereniss. Princip. Hasso Caf-  
sell. Piscinarum Præfecto atque saltuario expertissimo, Amico suo  
Integerrimo.

*Has Studiorum suorum Primitias, in sempiternam  
filialis obsequii, Gratitudinis, Reverentia &  
Affectione Tesseram,*

D. D. D.

*Praclarissimorum atque Clarissimorum eorum Nominum  
Humillimus Cultor atque Cliens.*

JOHANNES CONRADUS LUDOLPHUS,  
Griffensis Hassus.



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

D E

# Experimentali Medicina

Practica, unicè vera atque probata.

In nomine S. Sanctæ Trinitatis,  
Amen.

## PRÆLOQUIUM.

**C**um in publico edendo specimine ingenii vires exper-  
turo, non in alieno, sed in eo cumprimis Themat-  
e, eos ipsos ut periclitetur, sit convenientissimum,  
quod & vitæ suæ conditio, ac status ab eo exigit,  
& in quo antea expertus eas est ipse: Hinc & mihi  
in experimentali Medica praxi hactenus desudanti,  
publico eligendo Thematem, quo, prosummis in Ar-  
te Medica Honoribus ac Privilegiis virium ingenii mei experimentum  
caperem, in alienum non fuit transeundum campum, cum & hæc ipsa  
meæ Vitæ conditio, uberrimam mihi messem atque materiam suppedit-  
tet, Artis Medicæ experimentalis practicæ Præminentiam, cum do-  
cendi, tum muniendi ac defendendi, quod ipsum dissertatione sequen-  
te

te quam compendiose fieri potuit, efficere constitui.

Et cum consummata Thematis hujus explanatio ingenii mei longius excedat vires, adeoque nec expectari à tenuitate mea possit, nec concessi temporis, & destinati spatii ratio, talem nunc permittat: summaria saltem descriptione, rudique & crassa (ut ajunt) Minerva, styloque plane simplici rem proponam, uberiorem ejus explicationem ac probationem commodiori occasione relinquens.

Ne autem extra omnem procedam methodum, integrum in V. capita dispescam Argumentum, quorum *primum* Tituli veritatem, *Experimentalem nimirum Medicinam Practicam esse unicè veram atque probatam*, cum ex vocum significatione, tum ex Medicinæ objecto, Artisque fundamento, docebit. *Secundum*, ex Medicinæ artis causis. *Tertium*, ex ipsius mediis, remediis, requisitis atque effectu. *Quartum* ex ipsius partibus. *Quintum* ex ejus speciebus in genere, cum primis Medicina Naturali. De Medicina Divina & Satanica jam nihil addemus, quum neque locus, neque tempus permittat.

Deum autem T. O. M. supplicissimis, ardentissimisque imploro suscipiis, ut, in sanctissimi sui Nominis gloriam, proximique salutem, conatus nostros dirigere, eosque clementissime secundare velit.

### C A P U T P R I M U M.

*De vocum significatione, & Artis Medicinæ objecto ac fundamento.*

§. I. **M**edicinæ vox, sive à græco verbo *μεδέειν*, *curare*, sive latino *mederi*, originem trahat, (quæ vocum significations *actionem* operosam & facultatem agendi notant, quælibet autem facultas agendi praxin:) nihil aliud innuit quam facultatem sive Artem, in corporis humani sanitate conservanda & restituenda, occupatam, & vox *Experimentalis* derivatur ab *experiri*, quod vocabulum compositum est ex præpositione *ex*, *per*, & verbo *ire*. quod itaque idem est ac rem pereundo penitus aspicere, & ejus naturam, vires & effectus perscrutari, quod Germani accurate exprimunt *erfahren*; quod idem est ac *einsfahren* etiam *empfinden* & *unterfinden*: Quæ voces sensuum operationem innunt, sive hæc notitia, quæ experientia acquiritur, probabili conjecturæ & notitiæ aliquali incertæ opponitur.

Si quis vero experientiæ vocabulum derivet ab obsoleto *Perior* & hoc iterum.

iterum à Græco πειρᾶν tentare, conari, cum eo non altercabor.

Vocabulum autem *Præctica* à græco πράξις & hoc à πράττω facio deduci, neminem fugit.

Hinc vel ipsius vocis *Medicinae* significatio, vis ac natura & usus patent, & constare potest eam scil. esse facultatem sive Artem operosam practicam, quæ, Ex-per-itione activa practica, cum corporis humani, verarum ac genuinarum causarum morborum, tum totius naturæ, & virtutum medicamentorum, verum ac genuinum fundamentum indicare, atque super illo fundamento felicem medicamentorum applicacionem, cum felicissimo successu ædificare potest: adeoque Medicinam nullam existere absque experientia, experientiam autem nullam esse aut fingi posse sine crebra, eaque continua, praxi.

§. 2. Præcedentis paragraphi veritatem neminem itaque in dubium facile vocaturum esse confido, nisi eum qui contra communem omnium consensum inficias ire velit, *experientiam* non modo stultorum, sed & omnium sapientum, prudentum, doctorumque, quin imo & brutorum universam esse Magistrum. Cui etiam consentit antiquissimum proverbium, *Experto crede Ruperto.*

§. 3. Cum primis Artem Medicam nec esse, nec posse esse, nisi solam experimentalem practicam, etiam inde liquet, quod tota Medicina, quanta quanta est, per meram experientiam sit, inventa & exculta, ac in principiorum regularumque certitudine sola experientia probata, & quod nullum alium effectum nisi practicum intendat, & meram experientiam supponat, atque in eo versetur, ut cum in Macrocosmo, seu universa natura, tum imprimis in Microcosmo seu natura humana experiatur:

Quicquid & ars valeat, valeat quid & ipsa Natura.

§. 4. Quod autem Medicina, (uti paragrapto præcedenti diximus:) experientia sola sit exculta, inventa ac stabilita, probatur exinde quod de rebus non experientia, sed nuda speculatione, conjectura, & ratiocinatione inventis, perpetua inter eruditos sit lis. De illis autem, quæ solidâ experientia stabilita & comprobata sunt, non ita.

§. 5. Ut porrò experientiam probem unicam esse veram medendi methodum, dico, quod experientia non fallat, ratiocinium autem s̄epissimè. Quod autem E. gr. medicamentum aliquod, in aliquo salubre expertum, in altero aliquando non succedat, illud est ab errore ratiocinii, non experientiæ.

§. 6. Clarius id ipsum eluescit ex Medicinæ universali ac particula-  
ri fundamento, in quo Medica Ars est ædificata, quod corporis huma-  
ni virium ac spirituum homogeneorum, ipsique naturæ convenientium,  
conservatio, introductio, & restitutio est, expulsis heterogeneis, vir-  
tute fortiori ipsis contraria, quod sine intima perscrutatione naturæ, to-  
tius Macrocosmi, & regni astralis, tum mineralis & animalis, quin &  
mentalibus, quam Microcosmi, naturæ humanæ, fieri omnino nequit; Il-  
la autem perscrutatio absque experimentali intuitione ac operatione esse  
non potest, ut infra ex Cap. III. de mediis & remediis, liquebit.

## CAPUT SECUNDUM.

*De Medicæ Artis Causis.*

§. 1. Medicam Artem solam experimentalem practicam unicè veram  
atque probatam esse ex eo quoque apparet, quod CAU-  
SAM EFFICIENTEM, UNIVERSALEM, PRINCIPALEM  
& ESSENTIALEM agnoscat omnino nullam aliam præter Deum & Sa-  
pientiam æternam, cuius solius lumine, illuminatione ac patesfactione, in-  
timiora, cum Macrocosmi, seu naturæ universæ, tum Microcosmi, seu na-  
turæ humanæ, innotescunt, neque absque illa innotescere possunt, qua de  
causa Regum sapientissimi Salomonis, cognitio Physica ac experimen-  
talis Medica huic ipsi Sapientiæ Essentiali æternæ, tanquam verus ac genui-  
nus effectus tribuitur, quando de ipso narratur i Reg. IV. §. 33. Lo-  
quebatur de arboribus, Cedro in Libano, usque ad hyssopum egredientem  
de pariete. Etiam loquebatur de animalibus brutis, de avibus, reptili-  
bus & piscibus. Quæ Cognitio ipsi etiam adscribitur Libr. Sap. Cap.  
VII. §. 17. & seqq. Ille mihi dedit notitiam certam omnium rerum, ut  
sciam quomodo mundus sit formatus, & vim Elementorum, temporum initi-  
um, finem atque medium, quomodo dies crescat ac decrescat, anni tempo-  
ra varieniur, & quomodo annus revolvatur, quomodo stellæ sint fixæ, natu-  
ram brutorum, ac feracitatem ferarum, ventorum motus, quid homines in  
mente foveant, varias plantarum species, & radicum virtutes. Innotescunt  
mihi omnia arcana & occulta, NAM SAPIENTIA, OMNIUM MA-  
GISTRA EA ME DOCET &c. Hæc autem à Sapientia divina nullis  
aliis manifestantur, nisi Deum verè timentibus, id quod & antiquiores  
Medicos, veræ pietati studentes, eo induxit, ut Sapientiæ huic æternæ,  
hunc

hunc in finem totos sese manciparent, ac in ea sola cum assidua sua praxi omnem operam ponerent, omnemque universæ naturæ patefactionem experimentalem sincerè & anhelantes ab ea ipsa exspectarent; suosque sic discipulos ac successores in eum pietatis tramitem ad consequendam notitiam experimentalem Medicam, inducerent, quales fuere Medici Ægyptiaci, in arcanis Sapientiæ æternæ, & cum primis Arte Medica, una cum aliis Principibus, Proceribus Regis Pharaonis à Josepho instruti, à quibus principia ipsorum Physica atque Medica, longa temporis serie, ad alias gentes sunt propagata, quod & Rex David innuere videtur Psalm. cv. v. 21. 22. Conf. Genes. L. II. Act. VII. 22.

§. 2. Porro probat illud ipsum CAUSA MEDICA FORMALIS, quæ sanitatis, ut constat, & conservandæ & perditæ restituendæ scientia atque facultas est, quæ cum habitus sit Practicus, genuina, homogenea atque vera præscribendi & sanitatis media ac remédia, quæ spiritus atque vires sunt humano corpori homogeneæ, genuinæ, congruæ ac convenientes, quibus, expulsis ex ipso heterogeneis & inconvenientibus, conservandis, restituendis, & invehendis, ars Medica est occupata, idque, cum præscribendo diætam, tum iis administrandis & ordinandis, hæc autem sufficientem, cum habitudinis, status ac conditionis, & specifici & individualis, corporis & naturæ humanæ in specie, & hujus vel illius individui, seu personæ, tum totius naturæ ac virium naturalium, cognitionem, eaque hujus accuratissimam scrutationem requirant: Quis non videt, hæc omnia mera esse practica & experimentalia, quæ ideo etiam propria experientia, continuaque praxi optime discantur?

§. 3. Apparet id quoque ex medendi artis *Causa Materiali*, quæ universa Natura Macrocosmi & Microcosmi cum sit, ex qua cum ad discussionem, præcipitationem & ejectionem spirituum & virium corpori humano, non solum specifico, sed & individuali, huicque personæ præ altera, heterogeneorum ac inconvenientium, tum ad conservationem, restitutionem & invectionem virium & spirituum homogeneorum ac convenientium, imprimis Archæi confortationem, debita atque optima deponi debent, hæc omnia atque singula verò accuratissimam totius Macrocosmi & Microcosmi, horumque arcanorum requirunt perscrutationem, & cognitionem realem atque essentialem, quod pariter non aliter ac mediante experientia continuaque Praxi, mediantibusque experimentis Physicis, Astronomicis, Chymicis atquæ Mechanicis fit, ac peri potest, res ipsa docet, medendi artem totam esse experimentalē

rimentalem Practicam, eamque unicè veram atque probatam.

§. 4. Non minus illud ipsum evincit *Artis Medicæ causa finalis*, quæ post gloriam Dei T. O. M. ipsa corporis humani continua est sanitas, ope artis hujus pretiosissimæ conservanda, vel restituenda, cum perpetua agilitate, alacritate, & promptitudine, actiones sibi & proximo necessarias & conducibiles, in eorum salutem, deique gloriam exercendi, qui finis, quæque sanitas, tanquam effectus Medicinæ Practicus, cum non nisi ipsa praxi obtineri, nec absque praxi experimentali cognosci & dignosci queat, quis dubitet eam totam esse experimentalem atque Practicam?

### CAPUT TERTIUM

*De Medicæ artis remedii, requisitis & effectu.*

§. 1. Demonstrant etiam id ipsum *Media*, cum ad excolendam, tum ad exercendam Artem hanc pretiosissimam requisita & necessaria. *Media* illi sunt primò *Physica*, cum *Astronomia experimentalis* conjuncta, ad naturæ universæ arcana investiganda, & stellarum cursus atque influxus in inferiora cognoscendos, ut & effectus, operationes, motum & quietem rerum naturæ, inde pendentes. Cumprimis affinitatem Macrocosmi & Microcosmi harmonicam, stellarumque convenientiam cum mineralibus, vegetabilibus & animalibus, earumque influxum, non modo ad inferiora perpetuum universalem, sed & genericum, specificum, individualem & singularem, cuivis rei proprium & homogeneum, cum consensu & Magnetismo naturali reciproco. Secundo Metaphysica, ad accuratiorem regni cumprimis Mentalis cum animali convenientiæ & disconvenientiæ, spirituumque incorporeorum, lucis ac tenebrarum, homogeneorum ac heterogeneorum, cum corporeis diversæ naturæ, motus, quietis &c. notitiam, quoniam ab ipsorum diverso motu, agitatione, actione, illuminatione & turbatione affectus hominis naturales, præternaturales, contranaturales atque supernaturales, exque iis ipsis corporis humani diversus sanitatis & morborum statue, non solum ut plurimum & magna ex parte, sed maximè & fere unice dependent. Tertium Anatomia, quæ structuram humani corporis internam, ac externam, viscerum, vasorum, membranarum & nervorum &c. nexum, combinationem, affinitatem harmonicam, consensum,

sum, vias universales & particulares alimentorum, sanguinis, excretorum, atque aëris perpetuumque spirituum & succorum vitalium circulationem, ad oculum demonstrat. *Quarum Chymia*, quæ, cum dissolvendis & purificandis corporibus, mineralium, vegetabilium & animalium, tum sublimandis, abstrahendis, extrahendis & rectificandis spiritibus & salibus ex iis, extractorumque redunctione, combinatione & fixatione cum corporibus purificatis sibi homogeneis est occupata, in eorum rectificationem usumque practicum; quæ omnia & singula media, cum perpetuam experimentalem praxin exposcant, quis inficias ire audeat, Medendi Artem totam esse Experimentalem atque Practicam?

§. 2. Præter hæc, ad excolendam Medicam Artes, *media*, requisita quoque eandem ac æqualem Experimentalem Praxin omnino exigunt. Remedia nempe, sive sint præservantia, sive corrigentia, adstringentia, emollientia, præcipitantia, purgantia, diuretica, diaphoretica, aperientia, discutientia, confortantia, sive interna, sive externa alia, cùm primis cum hæc omnia & singula peculiarem selectum, singularemque sollicitudinem in eorum applicatione exposcant.

§. 3. In administrandis & distribuendis mediis atque remediis autem requiritur eorum selectus, judicium, (non quidem conjecturale, verum experientia suffultum) huncque in finem afflictorum, ægrotantium & proxime restitutorum creberrima visitatio, eorundemque status & conditionis, non modo generalis, sed specialis, in minutissimis quoque accuratissima perscrutatio atque probatio. Anne hæc itaque non sunt mera Practica?

§. 4. Et quæso unde fit, quod sæpe tam frustra tentetur curatio aliquius morbi, cæteroquin curatu facilis & parum maligni. Nonne ex defectu Experiencie & quod magis fidatur fictæ hypothesi, quam duci Experiencie? E. gr. de febribus sententia & hypotheses sunt fere innumeræ, & quisque secundum causas à se præsuppositas curationem dirigit, verum à scopo aberrat, donec tandem Experiencia duce ad felicem curationem perveniat, & sic ratiocinium dudum hæsitans, experientia confirmetur.

§. 5. Effectus itaque remediorum optatus, qui est sanitatis restitutio, satis etiam probat Thema nostrum toties repetitum.

## CAPUT QUARTUM

*De Artis Medicæ partibus.*

§. 1. Ex ipsis etiam Medicinæ partibus, Theseos veritatem probabimus, quamvis prima fronte illa divisio ac definitiones sententiæ nostræ potius videantur adversari, dum multa sunt Theoretica in illis definitionibus. Verum quatenus omnis Theoria praxin unicè intendit, ideo vicissim praxis Theoriam supponit, tanquam adminiculum; Et quia Tyrones Medicæ Artis ideo prius fuit Theoretici, ut postmodum evadant Practici, æquum est Medicinam vocari Artem Practicam. Partium autem istarum Medicinæ vulgo quinque numerari constat, *Physiologiam* nempe, considerantem statum hominis naturalem sive sanum, ejusque causas & effecta. *Pathologiam*, quæ statum præternaturale id est morbos, morborum causas, & symptomata: *Semeioticon* quæ signa morborum vel sanitatis: *Hygieinen*, quæ sanitatis conservationem: Ac *Therapeuticen*, quæ sanitatem restituendam, intendit.

§. 2. Ut clarius detegatur qua Ratione Theoretica Medicinæ pars (licebit enim hac voce *Theoretica*, absque contradictione sententiæ posse uti,) ad Praxin spectet, dico: quod Ex. gr. in *Physiologia* status sanitatis ideo consideretur, ut scire possimus quando status non amplius sit sanus, sed quando morbosus? Et quando itaque remedia postulet, quando non? At video mihi audire objicientes; *non opus esse cognitione status naturalis humanae statuæ, ad sciendum, utrum remedia exposcantur nec ne?* quum quisque satis sentiat, quando sit æger, aut quando non, cui respondeo, hoc quemvis scire non posse, quia dantur affectus absque dolore, auxilium tamen Medicum requirentes; Et quoniam homo, statum verum naturalem corporis ignorans, solum ex dolore & incommodo sensibili judicat se morbo laborare. Medicus vero gnarus non ita. Ergo ista Theoria cum Praxi ita connexa est, ut in praxin abeat, ac vertatur, ipsiusque nomen induat, proprium fere nomen amittendo.

§. 3. Cum primis autem partem Medicinæ ultimam esse Practicam, & clinica praxi addisci, docet inter alios B. Dn. D. Wedelius, præfatione ad *Guernerij Rofinskij Epitomen Methodi cognoscendi & curandi particulares corporis affectus lit. a. 3. inquiens. Ducendo ad lectum agrotorum ipsos Philiatros, & quomodo se circa unumquemque affectum gerere debeant, pro circumstantiarum varietate edocendo, melius quam regulis Theoreticis hauriri.*

riri posse, atque debere. Quod ipsum & res & experientia ipsa adeo docent, ut antiqua cantilenæ : *In cathedra omnes sanantur Morbi*, notam scribere, ac ipsæ Experienciarum tot myriadum ægrotantium contradicere velle mihi videatur, veritatem perfracte velle negare.

## CAPUT QUINTUM.

*De Medicæ artis speciebus generatim, & congenitæ speciatim.*

§. 1. Species Medicæ artis ponimus tres, jam cap. I. indicatas, verum brevitatis causa unam tantum, nempe *Naturalem* proponeamus, & veritatem Thematis ex ea deducemus. Est ea scientia medendi; facultate naturali instinctu naturæ data, quæ etsi in tantum, quantum in mera scientia consistat, sit imperfecta, manca & mutila, donec praxis ipsi jungatur, tamen videmus eam notitiam *Naturalem*, *Praxin* & experientiam quam maxime anhelare, & sic docere solam Experienciam Practicam esse Medicorum Magistrum. Eodem modo ut alia ratione excogitata eo usque dubiè fluctuant, donec ipsorum veritas Experiencia vel Experimentis confirmetur.

§. 2. Hanc scientiam naturalem (quæ sc. Spiritus interni, vulgo *Archei* dicti, ope, suggestione ac instinctu hauritur) indigitare videtur Syrac. cap. xxxvi, 31. 32. *Mi fili proba, quæ corpori Tuo salubria sint, quæque insalubria, hæc non da ipsi &c.* Quem spiritum naturalem etiam Apostolus Paulus notat de eo ipso quærens. I. Cor. 11. v. 11. *Quis hominum scit, quid in homine sit? nisi Spiritus hominis, qui in eo est.* Quod etiam statim de spiritu mundano seu astrali explicat, spiritum divinum ipsi opponens. Quæ Medicinæ aliqualis cognitio innata etiam brutis communis est. Videmus enim feras sibi ex herbis Medicinam quærere, quando molestiam in corpore sentiunt. Imo & in canibus gramen depascentibus (quod cæteroquin etiamsi præberes ipsis, non solent devorare) hoc ipsum fere quotidie experimur. Hæc natura dona veteres sapientes, & ex illis magnum illud Teutonicæ eruditionis lumen, Kiloniensisque Holsatiæ Academiæ jubat Georgius Morhofius in suo Polyhistore, occasione Festi Pentecostis, sub Titulo de eo quod in omnibus disciplinis, scientiis atque artibus Deo est, excursus, τὸ θεῖον naturale, in omnibus Artibus congenitum vocarunt.

§. 3. Post hanc congenitam, vel omnibus communem, vel aliquibus tantum propriam, datur alia *Acquisita*, qua prior illa ulterius excolitur,

& perfectior redditur ; Modus autem illam acquirendi sunt varii , vel enim jure hæreditario, à Proavis, Avis, Parentibus, Avunculis, Patruis, &c. aliisque personis honestis & fide dignis ac expertis traditur & propagatur , (qualis olim fuit Medicinā , antequam in facultatem peculiarem , qua auctoritate publica constituuntur Medici , secessit ) vel etiam acquiritur propriis studiis , industria & adjunctione Experiētiæ jam ab aliis comprobatae . Sicque iterum mera Praxis est Ars nostra.

§. 4. Eaque acquisita rursus est vel *Empirica vera* , qua cæteroquin honesti Viri Mediante Arte Chemica, Pharmacopœa, Chirurgia, Anatomia , & lectione auctorum bonorum , sive vernacula , sive alia lingua conscriptorum , sibi scientiam & praxin Medicam comparant , sicque benedictione divina felicissimè sæpe gravissimos & extraordinarios Morbos curant ; Vel *Empirica falsa* , cum sine omni , aut sufficienti praxi experimentali ac rationali , dolis malis ac fraudibus , avaritia inducti deceptores pessimi , uno atque altero Medicamine domestico , vel arcano ex certi aut incerti Auctoris scripto compilato , aliqualem sibi Medicamentorum speciem procurant , ac postmodum annexis plurimis aliis Medicamentis falsis & fictitiis plebem credulam decipiunt , & loco Medicaminum salubrium non modo fallimenta , & res ad rem non facientes , sed & plane nocivas , sæpenumero vendunt . Sic itaque Dissertationis filum abrumpentes . Deum T. O. M. imploramus ut conatibus nostris benedicere , coque dirigere velit , ut in ejus gloriam , proximique salutem omnia faceant .

### C O R O L L A R I A.

- I. Dantur Morbi , in quibus remedia non dare satius est , quam dare .
- II. Mallem nullum , quam anceps dare remedium , ( nisi forte certo certius constet hominem mori debere . )
- III. Datur specificum omnes febres intermitentes curans .
- IV. Lienis usus est hepar in secretione bilis adjuvare .
- V. Bilis excretionem faciem alvinarum promovet .
- VI. Vulnera cerebri quamvis profunda ( saltē in brutis ) non sunt lethalia .
- VII. Vulnera intestinorum crassorum non omnino lethalia , tenuiorum vero magis .
- VIII. Pulmonis dilatatio & constrictio est passiva .